

sece necessarium sit ad usum liberum voluntatis. Quare cum negare non possit etiam in operibus gratiæ proprie et vere servari liberum usum, negare etiam non potest quin verba opera gratiæ, etiam libera, comprehendant. Quomodo vero aliis locis tam acriter invehatur in eos qui physicam prædeterminationem negant, ipse viderit.

Ultimo addimus, præter auctores quos pro nostra sententia retulimus in libris de Auxiliis, omnes fere modernos Doctores qui contra hæreses hujus temporis scripserunt, et hanc controversiam attigerunt, ab illa sententia quæ alicui prævenienti gratiæ (quo nomine comprehenditur omnis gratia quam Deus solus facit, et per eam facit ut homo faciat), a sententia (inquam) quæ huic gratiæ talem ac tantam efficaciam tribuit, ut voluntatem ex se et sua vi ad consentiendum determinet, ita ut voluntas non possit ei resistere, vel (quod perinde est) ut infallibile sit quod ei non resistet ex potenti efficacia talis gratiæ, omnino abhorreere, nam putant esse eandem cum sententia Calvini, vel tam propinquam, ut non possit una sine altera defendi. Singulorum autem auctorum loca et verba hic referre prolixum esset; nonnulla tamen loca insinuabo, quæ magis ad causam agere videbuntur. Legi ergo potest Joannes a Bononia, in lib. de Prædestinatione, impresso anno 1555, fuitque unus ex Episcopis qui Concilio Tridentino interfuerunt, et inter alia refert fuisse illam sententiam discussam in Concilio Tridentino et a Patribus rejectam, ipseque censet non differre ab errore Calvini. Atque hoc ipsum repetit sæpe Stapletonius, qui videndus est toto libro quarto de Justificatione, et in Promptuario Catholico, præsertim feria 6 hebdomadæ primæ Quadragesimæ, et feria 2 hebdomadæ tertiæ, et in Antidoto contra Lutherum, ad c. 15 Joannis, et super Acta, c. 8, et super Epist. ad Rom. sæpe; et hic auctor inter alia dicit Deum, postquam pulsavit per gratiam prævenientem, expectare ut aperiatur ei. Præterea Orantius, in locis Catholicis, l. 1, c. 52 et 56, ubi inter alia dicit esse dogma Calvini, non esse nostri juris, postquam Deus pulsavit, gratiam ejus irritam facere, aut cooperari illi; unde capite 37 dixerat ex voluntate proficisci quod alii perseverant, alii non ita: *Si quaeratur* (inquit) *cur iste admonitioni pareat, cum ille alius ea ad discutiendum torporem non utatur, non ego exclamabo, sed liberum arbitrium in causa fuisse cum Augustino, Hieronymo,*

Chrysostomo, et cum universa Ecclesia dicam. Idemque habet Albertus Pighius, lib. 5 de Libero arbitr., in princip., et Turrianus, libr. 4 pro Epist. Pontific., c. 2, et Franciscus Balcharius, Episcopus Methen., libr. contra Calvin. Præterea Cardinalis Contarenus, in lib. de Prædestinatione, adeo favet huic sententiæ, ut excedere videatur, dicens non ex gratiæ efficacitate, sed ex nostra voluntate pendere, quod, tangente Deo cor hominis, cordis durtia rumpatur; intelligit autem non ex gratia, id est non ex sola gratia, vel non ex tali ejus efficacitate, cui non possit liberum arbitrium resistere. Usurpat enim modum quemdam Chrysostomi, homil. de Convers. Pauli, dicentis ea salutis media, quæ alioquin efficacia sunt, et per voluntatem Dei præstantur ad nostram salutem, nihil proficere nobis nolentibus; non quia voluntas Dei infirma sit, sed quia cogere neminem vult. Per quæ ultima verba significat, ad conservandam libertatem, necessarium esse temperamentum hoc in prævenientis gratiæ efficacitate. Quam sententiam usurpavit etiam Budeus in Compendio Theologicarum controversiarum, l. 7 de Gratia et lib. arb., art. 7, et in Scuto fidei, tit. 10 de Lib. arb., propositione 4. In eadem sententia est Delphinus, l. 1 de Rerum eventu, et l. 4 de Lib. arb., et l. 5 de Justificatione, et l. 2 de Prædestinatione, ubi etiam videtur excedere, dicens quod unaquæque voluntas non aliunde, sed ipsa determinat seipsam. Per particulam autem *non aliunde*, non excludit Dei adjutorium, sed absolutam efficaciam extrinsecam. Similiter Cuneus, lib. de Gratia et lib. arb., c. 20, ubi, inter alia, ait concursus causæ primæ non esse aliquid prævium in causa secunda, ac proinde utramque causam simul concurrere, solumque primam dici priorem, quia superior est, a qua inferiores pendent. Et ibi etiam laudat sententiam Ruardi, dicentis ex duobus similiter vocatis unum posse converti, et non alium, pro sua libertate. Quia vero Ruardus addidit particulam *sola*, ipse bene declarat illam particulam solum excludere aliam prævenientem gratiam, non Dei cooperationem, quæ simul incipit et desinit cum libero voluntatis opere. Sic etiam Joannes Maria Verratus, in Apologia contra fautores Lutheranorum, dicit, in illa sententia, libro de Ecclesiasticis dogmatibus: *Initium nostræ salutis Deo miserante habemus: ut vero acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; quod est solius Dei, sci-*

licet initium salutis, aliud quod est in mera facultate nostri liberi arbitrii, scilicet acquiescere. Ubi videtur excedere in illa particula *mera*, sed eandem habet intelligentiam, quia non est posita ad favendum Pelagio, sed ad contradicendum Calvino. Non ergo excludit adjuvantem gratiam, sed prædeterminantem. Eandemque sententiam, et eodem modo exponendam habet Raphael Venustus, fol. 22, et Th. Clisius, Dominicanus, quæst. 4 de Lib. arb., art. 8. Præterea Julius Sirenus, in compendio de Prædestinatione, l. 2 de Reprobatione, c. 18, ejusmodi prædeterminationem discrete excludit. Ac denique Jodocus Clitoveus, ad 5 Lutheri art., c. decimo de Libertate humani arbitrii, falsum et impium dogma appellat illud, quod Deus inducit et intorquet voluntatem nostram. Videri etiam potest Franciscus Romeus, Generalis Dominicanorum, lib. de Libertate et necessitate operum; Joannes Maria Cappella, lib. de Concordia libertatis humanæ cum Dei præscientia, p. 4, c. vigesimo sexto, et p. 2, c. quinto, sexto et septimo; Felicianus Capitonius, in Explicationibus Catholicis, p. 2, explicat. 55; Petrus Aurelius Sanctius, in recenti Lutheranorum impugnatione, progress. 3.

CAPUT XLIV.

RESPONDETUR AD QUASDAM OBJECTIONES QUÆ VULGO CIRCUMFERUNTUR CONTRA DOCTORES QUI PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM IMPUGNANT.

Præsertim huic opusculo finem imponamus, satisfaciendum est quibusdam objectionibus, quas in duo capita dividimus. Unum est peculiare de objectionibus contra nostrum prius opusculum de Auxiliis, de quibus in cap. seq. dicemus. Aliud est de quibusdam aliis quæ generatim contra nostram sententiam objecta sunt, præsertim in quodam scripto quod per Hispaniam, Italiam, Galliam et Germaniam in multorum manibus circumfertur; in quo præcipue fit collatio inter sententiam nostram et Pelagianorum, et similes esse arguuntur, tum in assertionibus quas continet, tum in impugnationibus contrariæ sententiæ.

Objiciunt ergo primo, non solum quod ex nostra sententia sequatur, sed etiam quod asseramus Deum neminem prædestinare absoluto decreto et efficaci suæ voluntatis, antecedente humanam operationem prævisam per

scientiam, alias tollere libertatem arbitrii. Hoc autem fuit unum ex dogmatibus reprehensis in Pelagio. Primum probant ex Molina in Concordia, quæst. 23, art. 4 et 5, et disp. 1, memb. 6, § *Multi*, et ex Suarez, l. 1 opusc., cap. 12, num. 2, § *Prima ratio*, et num. 4, § *Jam ergo*, et expressius l. 3, c. 19, n. 20, § *Hinc dicitur*, et l. 2 de Scientia, c. 6, n. 7. Secundum autem probant ex Augustino, l. 2 contra duas epist. Pelagianorum, et l. 4 contra Julian., c. 8, et de Semipelagianis, ex Prospero, Epist. ad Augustinum, versic. *Neminem itaque*, et ex Augustino, de Prædestinatione Sanct., c. 18.

Ad hanc objectionem late a nobis responsum est in proprio opere de Prædestinatione, l. 2. Nunc breviter dicitur primo sermonem esse posse de præscientia futurorum operum humanorum, vel absolute futurorum, vel tantum sub conditione: Si hoc vel illud Deus faciat. Si priori sensu intelligitur objectio, falsum manifeste nobis imponit, quia neque id dicimus, ut evidenter constabit citato loco; neque id sequitur ex nostra sententia. Quia potius requirimus decretum illud absolutum, ut scientia, quæ ante illud erat tantum conditionata, transeat in absolutam. Unde verba mea in illo loco, qui tanquam expressus citatur, sunt: *Licet Deus illud decretum præhabeat antequam prævideat merita per usum liberum absolute futura, necessario tamen supponit scientiam conditionatam istius.* Si autem loquantur tantum de scientia conditionata, debet fideliter id explicari, quia cum simpliciter dicitur prævideri futura opera ante propositum prædestinationis, plane significatur prævideri ut absolute futura. Et ideo, illo secundo libro de Scientia, expresse animadverti propositum circa electos supponere scientiam meritorum, non ut futurorum simpliciter, sed ut possibilem ex gratia Dei, et consequenter futurorum sub conditione: Si Deus velit tale auxilium homini præstare.

In hoc ergo sensu concedimus sequelam, et assertionem illam, non solum veram et necessariam, sed etiam certam et expressam D. Augustin. esse credimus; imo etiam evidentius sequi ex sententia argumentis quam ex nostra. Quæ omnia in dicto libro de Prædestinatione late probavi. Ratio autem horum a priori est, quia illa scientia non postulatur, ut illa opera sic præscita possint esse ratio meritoria aut motiva ad propositum prædestinationis, nam ad hoc necessaria esset præscientia absoluta, sed requiritur ut voluntas

divina possit efficaciter intendere prædestinationis finem; nam si non haberet, in sua præscientia, media efficacia ad talem finem, non posset prudenter illud absolute præfinire, ut est per se evidens; etiam in humana providentia, servata proportione. Et ideo Augustinus semper conjungit præscientiam prædestinationi, dicitque per prædestinationem præparari beneficia in præscientia, de Prædestinatione sanct., c. 10, et de Dono persever., c. 14. Et idem supponit quoties vocationem ex proposito declarat esse congruam juxta dictam conditionatam præscientiam, ut quæst. 2 ad Simplic., et de Spiritu et litter., cap. 33 et 34. Et fortasse eodem sensu dixit Paulus ad Rom. 8: *Quos præscivit, et prædestinavit*. Denique si Deus exequitur propositum prædestinationis per auxilium de se efficax ac prædeterminans, numquid ante illud propositum non præcognoscit quod, si daret tali homini tale auxilium, infallibiliter habiturus esset bonum meritum vel bonam dispositionem? Non potuit certe magis hoc ignorare quam si sol esset illuminaturus si crearetur; ergo sicut tale auxilium supponitur ut possibile, et necessarium ad bona merita ante propositum prædestinationis, ita præscientia bonorum operum sub illa conditione: Si tale auxilium detur, necessario supponitur ad prædestinationis propositum, eo modo quo necessaria in Deo sunt priora liberis; quomodo ergo in nobis damnant quod ipsi negare non possunt? Nam quod in modo illius præscientiæ diversa sentiamus, alterius considerationis est, nam ad præsens nihil refert, cum in alio etiam principio, quod caput est, etiam conveniamus, nimirum illa bona prævideri ut futura, non ex solo libero arbitrio, sed prævento et adjuto per veram Dei gratiam; quod si aliud de nobis clamitant, falsum testimonium nobis imponitur, ut satis in superioribus ostensum est.

Quapropter quæ de sententia Pelagii et reliquiarum ejus asseruntur et referuntur, extra rem sunt, fuit enim longe dissimilis causa illorum. Loquebantur enim illi de bonis operibus futuris ex solis viribus liberi arbitrii, in quibus ponebant meritum gratiæ, et consequenter prædestinationis seu propositi Dei non solum dandi gloriam, sed etiam primam gratiam. Hoc autem constat ex eisdem locis Augustini, quæ ab ipsis citantur. Nam secundo libro contra epist. Pelag., c. 5, reprehendit Pelagium, qui ob hoc existimavit, vel existimare se finxit sub nomine gratiæ fatum

introduci, si dicamus gratiam non secundum merita nostra dari, sed secundum divinæ voluntatis propositum et misericordiam, eodem modo refert eundemmet errorem Pelagii, lateque impugnat in l. 4 contra Julian., c. 8. Quis autem nunc asserit gratiam primam secundum merita nostra dari, aut fatum introduci, si gratuitum propositum prædestinationis ponatur? Quin potius, ut explicetur et intelligatur quomodo illud propositum esse possit sine fatali necessitate, præscientia illa necessaria judicatur. Semipelagiani vero non solum in hoc errarunt, quod ad illud meritum prævisum putabant sufficere solum liberum arbitrium, sed etiam quia ad veram causalitatem meriti et demeriti putabant satis esse scientiam futurorum, tantum sub conditione, quæ in rigore clauditur sub scientia tantum possibilem, ut expresse constat ex dicta epist. Prosperi ad Augustinum, et ex eodem Augustino, de Prædestinatione Sanct., c. 12. Nam in 18, quod ab arguente citatur, potius generaliter agit contra Pelagianos, et ibi expresse adnotat Pelagium dixisse, præcivisse Deum qui futuri essent sancti et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, atque ita elegerit eos qui per se futuri erant sancti, non quos ipse fecit aut facturum esset sanctos. Nihil ergo error ille Pelagii vel Semipelagianorum ad præsentem causam pertinet.

Secunda objectio. — Secundo objiciunt quod, juxta nostram sententiam, consequenter dicamus concursus Dei generalem non esse influxum Dei in causam secundam, quasi ea prius mota agat et producat effectum, sed esse influxum immediatum cum causa in illius actionem et effectum, quia alia præmotio et applicatio commentitia et superflua est, et in actionibus liberis præjudicans libertati, quæ omnia patent (inquiunt) ex Molina, in Concordia, disput. 26, ad 9, 14, artic. 13, et latius ex Suarez, l. 1 de Auxiliis, c. 9. At vero hanc ipsam motionem præviam ex eodem fundamento negavit Pelagius, ut constat ex Hieronymo, in Epist. ad Ctesiphontem, et ex Augustino, epist. 106 ad Bonifacium, alias ad Paulinum, non procul a fine, ubi clare (inquiunt) est sermo de concursu prævio, quem negavit Pelagius, ne libertas destrueretur.

Respondetur sententiam illam de concursu generali, et nostram esse, et omnino veram, non solum ne lædatur liberum arbitrium, (posset enim excogitari vel potius fingi præmotio non prædeterminans ad unum, sed com-

plens vim agendi, et inclinans cum indifferentia), sed etiam quia repugnat quoad actus malos divinæ bonitati, maxime cum illa præmotio cum prædeterminatione ponitur. Itemque quia etiam in agentibus naturalibus est inintelligibilis illa prævia actio primæ causæ in secundam, et sine ullo fundamento, ut late in l. 1 de Auxiliis prosecuti sumus; nec de hac re fuit unquam disputatio ab Augustino aut Hieronymo cum Pelagio. Probabile quidem est Pelagium in illo fuisse errore, quem necesse Durandus secutus est, negando necessitatem generalis concursus Dei ad actiones causarum secundarum. Posita autem necessitate illius concursus, an ille sit influxus in ipsam causam secundam, vel in effectum et actionem ejus, hoc nunquam disputatum est cum Pelagio, nec quidpiam de hoc refertur ab auctoribus, et quidquid ille sensisset, non pertinebat ad dogmata fidei per se loquendo. Hoc imprimis patet ex locis Hieronymi et Augustini, quæ allegantur, et aliis quæ non allegantur. Hieronymus enim, in epist. ad Ctesiphontem, his verbis refert Pelagii errorem: *Dei est gratia quod propriæ nos condidit voluntatis, et libero arbitrio contenti sumus, neque ultra ejus indigemus auxilio, ne si indigerimus liberum frangatur*. Et infra sic inquit: *Dei potentia factos se esse jactant, qui nullius ope indigent*, in quo significat Pelagium negasse necessitatem omnis concursus causæ primæ, et in hoc fecisse voluntatem humanam æqualem divinæ, quod sine alterius ope potest operari. Unde infra ait: *Asserunt se per arbitrii libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum*. Neque in tota illa epistola invenietur verbum, an hoc auxilium sit influxus in causam, vel illum requirat, sed solum quod sit adjutorium vel auxilium; certum est autem quod vere auxiliatur et adjuvat qui simul influit in actionem, licet non influat aliquid novum in alium cooperatorem. Unde idem Hieronymus, l. 1 Dialogorum contra Pelagianos, parum ab initio, postquam eisdem fere verbis hunc illorum errorem retulit, verbum etiam cooperandi ponit, talem ex eis referens argumentationem: *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum, sed ejus qui adjuvat, imo qui in me cooperatur, præsertim cum absque eo facere nihil possim*. Eodem modo Augustinus, d. epist. 106, refert hunc errorem, non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quum in propria voluntate habet aliquis facere vel non facere. Inferius vero contra Pelagium ipse subdit: *Fateatur*

esse liberum arbitrium, etiam si divino indiget adjutorio. Et lib. de Gratia Christi, c. 3, de Pelagio inquit: *Voluntatem et actionem nostram esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut non nisi a nobis esse contendat*; et in c. 6 ait Pelagium negasse Deum cooperari homini cum operatur. Quibus omnibus insinuant hi Patres negasse Pelagium necessitatem influxus divini in nostras actiones, et in hoc errasse. Qui ergo imprimis fatetur necessitatem hujus divini influxus, et in eo ponit influxum generalem, directe contradicit Pelagio.

Imo ex dictis intelligitur hoc imprimis debere esse influxum causæ primæ in ipsammet actionem causæ secundæ, et in hoc formaliter ac per se consistere essentialiter dependentiam in agendo causæ secundæ a prima, quæ ex hoc potissimum nascitur, quod tam effectus quam actio causæ secundæ habet esse participatum, quod necesse est ut immediate pendeat et fluat ab ipso esse per essentialiter. Hoc autem dogmate stabilito, an, præter hunc influxum, et præter collationem et conservationem totius virtutis necessariæ ad agendum, sit necessaria nova actualis motio et influentia causæ primæ in secundam, nunquam est ab antiquis Patribus in controversiam vocatum, neque indicarunt unquam id esse necessarium ad opera naturæ. Imo, quoties contra Pelagium docent ad opera pietatis, non solum cooperans auxilium, sed etiam præviam motionem Dei esse necessariam, id tanquam speciale et proprium gratiæ requirunt, ultra indigentiam communem causarum omnium secundarum. Quod significavit Paulus Orosius, de Arbitrii libertate, p. 723 et 726. Scripsit autem contra Pelagium eodem tempore quo Hieronymus, aitque illum negasse non solum illam gratiam quam Deus largitur Ecclesiæ suæ, sed etiam generalem cooperantem gratiam, quam Deus quotidie, per dies et momenta, cunctis et singulis ministrat, ita enim appellat generalem concursus.

Neque ex similitudine rationis ullum argumentum contra nos sumitur, nimirum quod utamur eadem ratione qua Pelagius utebatur. Falsum enim hoc est, nam Pelagius inferebat tolli liberum arbitrium, si auxilium Dei etiam per cooperationem seu influxum in actionem est necessarium. Quam sequelam nullius momenti esse nos fatemur, cum asseramus liberum arbitrium creatum essentialiter indigere hoc auxilio, quod illi præsto est ex parte Dei, et potest non uti illo si nolit, et

ideo non repugnat libertati, sed adjuvat illam. Alia vero ratio est de antecedente influxu in causam, nam si hic necessarius est et non datur, nec in potestate hominis constituitur, cum non sit efficienter ab ipso, sed a solo Deo. Jam ex hac parte tollitur potestas operandi, et consequenter libertas arbitrii, ab his omnibus qui tale auxilium non recipiunt. Aliunde vero si influxus ille talis est ut, illo posito, non sit in potestate voluntatis continere actionem ad quam ordinatur, tollitur potestas non operandi ab his omnibus quibus talis influxus datur, antecederet praeveniendū eorum libertatem. Non est ergo similis argumentatio Pelagii et nostra; ille enim hallucinatus est, quia non intellexit quomodo possit cooperatio Dei esse necessaria, et nihilominus esse in potestate voluntatis habere quoties voluerit, vel carere illa quoties cessare maluerit. Hæc autem omnia procedunt de concursu generali ut sic, nam ex alio capite potest esse necessarius influxus Dei praevis in ipsam voluntatem, ut contingit in operibus gratiæ. Et nihilominus ut salvetur vera libertas in eisdem operibus, necessarium est et motionem illam paratam esse homini ex parte Dei, et, postquam datur, esse in potestate hominis illa uti vel non uti, ut Concilium Senonens. in Decretis fidei adnotavit.

Tertia objectio. — Solemus nos contra sententiam illam de necessitate physice prædeterminationis, fundatam in essentiali dependentia causæ secundæ a prima, maxime urgere rationem illam, quod inde sequatur Deum, eodem modo ex se et efficacissime determinare voluntatem hominis ad actiones peccaminosas, quas hic et nunc et cum tali cognitione sine malitia morali exercere non valet, ut in nostris libris manifestum est. Contra hanc ergo rationem objiciunt, quia simili argumento utebatur Pelagius ad probandum non dari peccatum originale, quia cum Deus concurrat ad generationem humanam, Deus esset auctor originalis peccati, si per illam homo in peccato gigneretur. Referuntque Augustinum, libro tertio contra Julianum, capite nono, similem argumentationem Juliano tribuentem.

Sed nos imprimis non argumentamur ex concursu Dei, sed ex prævia motione, imo ex efficaci prædeterminatione. Quod si hanc ipsi admittunt etiam in actionibus peccatorum (ut in ipsa objectione videntur supponere), multum profecto a tota antiquitate, et, ut libere

pro Deo loquar, a vera pietate discrepant; nam ut homines faciant divinæ motioni nihilominus subjectos, faciunt illos sacrilegos, dum malitiæ originem in Deum ipsum refundunt. Unde, licet daremus argumentum Pelagii esse quod ipsi dicunt, non esset ad rem quod objiciunt, quia nos non admittimus Deum prædeterminare physice hominem, etiam in humana generatione, quod necessarium esset ut argumentum esset simile. Addimus vero præterea quod, licet Deus prædeterminaret physice voluntatem hominis ad generationis actum (quod fortasse facere posset necessitando voluntatem hominis quando honeste fit), nihilominus non esset similis argumentatio, neque inferri posset inde Deum esse auctorem peccati originalis, quia illud peccatum non sequitur ex illa actione, ut est particularis actio moralis talium personarum, sed ex actione peccaminosa Adæ, ut fuit caput totius naturæ. Cujus signum est, quia illa actio generandi, etiam ut est a talibus personis, non est mala moraliter, quantumvis scient prolem esse in peccato generandam. Nihil ergo est quod imputetur Deo, etiamsi determinet generantium voluntatem ad talem actionem, quia tota illa bona est, quidquid sit de effectu originalis peccati, qui aliunde sequitur. Unde neque ipsi Pelagiani usi sunt tali argumento, maxime cum ipsi non agnoscerent necessitatem concursus generalis Dei ad actiones naturæ, ut paulo ante visum est. Argumentum ergo Juliani, quod Augustinus refert, hoc erat, nimirum: omnia quæ ad humanam generationem concurrunt, bona sunt et a Deo, qui corporis membra formavit, et dissimilia in sexibus fecit, ut conjungi possent; ergo conjunctio ipsa mala non est; ergo nec fructus ejus potest esse malus. Cui argumento Augustinus uno verbo respondet, concedendo totum, quia fructus illius conjunctionis est homo secundum naturam, quæ bona est, cui fructui adjungitur malitia culpæ, quæ non est fructus corporum (ait Augustinus), sexuum, conjunctionum, sed originalis veterisque peccati.

Quarta objectio. — Simili modo impugnant rationem qua uti solemus contra auxilium præveniens ex se efficax, quia si illud est necessarium et actu non datur, nunquam est in potestate proxima voluntatis operari aut non operari, prius natura quam determinetur ad operandum vel non operandum, quia neque actu habet omnia necessaria ad talem determinationem, neque etiam habet illud

auxilium in potestate sua, quia Deus solus illud dare potest, et dat, nulla expectata hominis dispositione. Si autem tale auxilium actu datur, jam non est in potestate hominis non sequi determinationem ejus, quam ipsum auxilium ex se et natura sua necessario facit ex suppositione ipsius. Contra hunc ergo modum argumentandi objiciunt, quia eodem modo impugnabant necessitatem prævenientis auxilii Pelagiani, ut constat ex Augustino, lib. de Correctione et gratia, c. 2, 3, 4 et 5, 11, 12 et 14.

Respondetur longe diversam esse assertionem, quam impugnare contendebat Pelagius, ab illo dogmate quod nos impugnamus, et ideo licet daremus formam seu principia argumentationis esse eadem, possent esse efficacia ad expugnandum falsum dogma, licet ad impugnandum fidei veritatem nihil valeant. Pelagius enim negabat necessitatem prævenientis gratiæ per internas inspirationes et illuminationes; hoc constat ex eisdem locis Augustini, lib. de Correctione et grat. Nam cap. 2 probandum assumit contra Pelagium sine gratia nihil facere homines, non solum ut, monstrante ipsa, quid faciendum sit scient; verum etiam ut, præstante illa, faciant eum dilectione quod sciunt. Probatio autem quam adjungit hæc est: *Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus.* Inspiratio ergo est illa gratia præveniens quam defendit contra Pelagium, illo enim nomine totam vocationem complectitur. Est ergo longe diversa assertio a Pelagio impugnata. Deinde Pelagius, in argumentatione sua, supponebat quidem unum principium, quod nos etiam supponimus, nimirum ad libertatem necessarium esse ut voluntas, prius natura quam operetur vel non operetur, habeat actu vel in potestate sua omnia prærequisita ad operandum, et quod illis positis possit etiam non operari. Quod principium Catholicum est, et ideo Augustinus nunquam illi respondet negando principium, sed falsam propositionem quam sub illo subsumebat. Putabat enim Pelagius, si gratia præveniens necessario est, nunquam esse in potestate voluntatis completa operari vel non operari. Quam subsumptionem falsam esse, in dict. capite 3, his verbis Augustinus significavit: *Præcepit ut habeatur charitas, orat ut abundet charitas; o homo in præceptione, quid debeas habere; in correptione, cognosce tuo te vitio non habere,* etc. Supponit ergo esse in potestate hominis habere gra-

tiam necessariam, eique imputari si non habeat, quia Deus, quantum in se est, semper præbet, quamvis hoc faciat diversis et innumerabilibus modis, pro sua voluntate, ut dicit in fine cap. 5; et in cap. 11, generalem statuit regulam, si Angelo aut homini denegetur adjutorium sine quo permanere aut bene operari non possit, non potuisse illi imputari quod sua culpa cecidisset. Ita ergo, non obstante necessitate gratiæ prævenientis, salvat Augustinus libertatem quoad potestatem operandi, quia illa gratia, quæ necessaria est, omnibus datur vel offertur, quantum est ex parte Dei, nullusque caret illa vel efficacia illius, nisi sua culpa. Libertas autem quoad potestatem non operandi defenditur ab Augustino, non obstante necessitate talis gratiæ, quia per liberum arbitrium obsistit potest ne suum habeat effectum, ut patuit in malis Angelis, et in Adamo in statu innocentie, et patet etiam nunc in omnibus prædestinatis. Quod si in prædestinatis talis est ut infallibiliter habeat effectum, non est quia illi resistere non possit liberum arbitrium, sed quia ex misericordia et sapientissima providentia Dei eo congruenti modo datur, quod de facto ei non resistatur, et sic dixit Augustinus, citato libro, capite decimo quarto: *Deo volenti saltem facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Ubi non immerito non dixit: Non potest resisti; et eodem modo loquitur in libris de Prædestinatione Sanctorum, et de Dono perseverantiæ, et latius explicat questione secunda ad Simplician. Hæc vero doctrina Augustini non habet locum respectu gratiæ physice prædeterminantis; nam auctores qui necessitatem et modum efficaciam ejus introducunt, revera admittunt duo illa quæ Pelagius subsumebat et imponebat Augustino; unum est, quod habere vel non habere hanc gratiam nullo modo est in potestate hominis, sed Deus, pro solo suo arbitrio, dat illum vel negat: unde plane sequitur ut illi, quibus denegata est, simpliciter non habeant potestatem operandi, quia carent principio necessario operationis, quod eis non datur neque offertur, nec per eos stat quominus illud habeant; et e converso talis ponitur illa gratia in his quibus datur, et ut a solo Deo in eis fiat præveniendū usum libertatis eorum, et illa posita ei resistere non possint, sed necessitate quadam antecedenti et causali sequitur operatio. Ex quo plane sequitur ut in hujusmodi hominibus tollatur libertas per hujusmodi prævenientem determinationem,